

derim. Praefatis etenim Flandrensibus in memoriam et signum emptae possessionis quatuor talenta et eandem villam, cum octo et decem, cum omni utilitate, quae nunc inest vel inesse poterit in futurum, mansis, tam in cultis agris quam in incultis, tam in campis quam in silvis, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in venationibus et piscationibus tradidi. Ex quibus videlicet mansis unum ecclesiae cum omni decima eiusdem mansi concessi; duos autem eorundem incolarum magistro, quem scultetum appellant, absque decima permisi. Reliqui mansi numero quindecim singulis annis triginta solidos, et pro iustitia, quae zip vocatur, triginta nummos persolvunt. Omnium rerum suarum decimam, praeter apum et lini, praefati homines dant et ter in anno advocato in placitis, quae cum ipsis et apud ipsos cum paucis habiturus est, sumptus administrant. Duae partes, quae in placitis advocati vel sculteti accesserint, episcopo, tertia sculteto datur. Theolonio in locis nostris sint liberi, nisi qui fuerint publicis negotiatoribus mancipati. Panes et cerevisiam et carnes inter se ipsos licite vendant, non tamen in villa sua publico mercatu²⁾ insistant. Ceterum ab omni exactione episcopi, advocati, villici seu hominum reliquorum liberos eos reddimus. Et ne forte haec iura ipsis statuta inposterum violentur, banno nostro prohibemus, et haec testibus advocatis sigillo nostro firmamus. Herebordus praepositus in Worczin, Johannes, Nicolaus, Henricus Altenb.³⁾ canonici, Sifridus advocatus, Henricus de Plisna. Ministeriales Aliericus, Henricus, Petrus, Henricus, Johannes, Odelricus, Conradus, Adalbertus Flans, Adalbertus Stanga, Waltherus. Actum anno domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, indictione tertia, decimo Kalendas Decembris, pontificatus domini Gerungi anno primo, feliciter. Amen.

Nach einem Transsumt des B. Johann VI. von Salhausen d. d. Wurzen, 22. Oct. 1514 abgedruckt in Schöttgen Leben Conrads S. 322 ff. — Da aber weder das Original noch das Transsumt aufgefunden worden, bleibt die Richtigkeit des Textes in einzelnen Stellen zweifelhaft.

2) mercatui? 3) Wahrscheinlich Albertus oder Adelbert.

No. 51. 1159. 27. Oct.

B. Berthold von Naumburg legt den zwischen dem Domcapitel und der Kirche zu Zmulne über sieben Hufen in Zwitich obwaltenden Streit bei.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bertoldus dei gratia sanctae Nuemburgensis ecclesiae episcopus omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Officii nostri debitum expostulat nos non solum ecclesiae nostrae filiis paterna sollicitudine prospicere, verum etiam omnibus viam mandatorum dei currentibus bonae voluntatis affectu ultra vires prodesse velle. Eapropter noverit omnium Christi fidelium tam praesentium universitas quam futurorum posteritas, qualiter controversiam de duobus mansis, qui Misinensis ecclesiae canonicis a quodam Hugone strenuo viro in pago Dalminza in villa quae Zwitich^{a)} dicitur cum aliis septem mansis in oblatione collati sunt, et Zmulnensis^{b)} ecclesiae esse dicebantur, terminavimus et pro bono pacis et concordiae tribus

a) Im J. 1107 Zuitecha, vgl. no. 41. b) Stadt Schmölln im Altenburg., Naumb. Diöces.